



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Eggebertus Abbas X.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

Martyrum, præcipuè caput D. Felicitatis unà cum reliquiis aliis auro & gemmis fulgido in loculo custodiebat; laudabilis ista pro augendo Cœlitum honore sollicitudo illius animum à Monasterii curâ nequaquam abstrahabat; quin potiùs in id toto pectore incumbere visus est, ut illius commodis ubique consultum iret; hunc in finem cum multa suscepisset confecissetque, tum summâ diligentiam libros complures, & hos inter historiam Ecclesiasticam describi curavit.

### EGGEBERTUS ABBAS X.

Omniùm, quos hucusque laudavimus, Præfulum unus felicissimus Eggebertus fuit ex Monacho S. Gorgonii Gratianopoli in Gallia, ubi famâ sanctitatis conspicuus erat, Monasterii nostri Abbas X. factus anno 1074. Eo demum tempore post tot persecutiones aram in Adelberone Episcopo Wirceburgensi, portum post tot tempestates gravissimas, quibus primo & secundo sæculo jactabamur, invenimus; utpote qui res nostras inclinatas adeò erexit, ut Secundum Fundatorem jure maximo dicamus & veneremur: præterquam enim, quòd Reverendissimus Præful  
Mona-

Monasterium nostrum à se rursus recens excitatum, redditibus liberalissimè instruxerit; Ecclesiam etiam nostram magnâ sacrarum reliquiarum copiâ locupletatam ann. 1074. ab obitu Meingaudi Ducis 260. in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & S. Felicitatis Martyris & 7. Filiorum ejus dedicavit. Imò, ut ne ulla in re quidquam Meingaudò Duci Conditori primo concederet, illius exemplo Eggebertum Abbatem unâ cum Monachis aliis ex Gallia evocavit, ut disciplinam monasticam, quæ temporum injuriâ penè conciderat, rursus erigerent. Adelbero hic anno Episcopatus sui quadragesimo secundo, meritis gravis, & virtutum splendore longè celeberrimus, in Bavaria extinctus, & terræ mandatus fuit. Eggebertus facturus satîs calentissimis votis Adelberonis hanc metam sibi unicè præfixam habuit, ut disciplinam religiosam repararet, reparatam sanctissimis legibus stabiliret; dum tandem anno Domini 1075. sanctâ morte ex hac vita decederet.

Ingratitudinis notam incurreremus, si insignibus Benefactoribus aliis, qui circa hoc tempus extiterunt, debitam laudem his in paginis non adjungeremus. Principem inter illos

C

locum

locum damus Hermannō Episcopo Bambergensi, Monasterii olim nostri Religioso, qui nobis & vineas complures, & prædia dono dedit, postea nostro in Monasterio sepultus. Hujus vestigiis insisteabant Udalricus Præpositus Imperialis Ecclesiæ Bambergensis, Ludovicus de Castell, Ludovicus de Breid, Egenhardus de Zeletshausen; qui, dum erga nos id temporis tam misericordes fuerunt, misericordiam & ipsi fuerint procul dubio consecuti.

### BURCKARDUS ABBAS XI.

Successorem Eggebertus habuit Burckardum anno Domini 1076. virum pietate in Superos, charitate in inferiores, studio propagandæ Dei gloriæ, & administrandi ritè Monasterii insignem; ejus gubernacula tenuit annos 20. quibus elapsis viam universæ carnis ingressus est anno 1096.

### ALTMANNUS ABBAS XII.

Abbati duodecimo Altmanni nomen erat; qui anno 1096. ad hanc dignitatem evectus Monasterii sui salutem animo ità complexus est, ut præter commoda alia ab ipso nostrum in Monasterium profecta magnam præclarissimorum librorum